



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XX. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Bernardus eos à MARIA favores accepit, ut Christi Collactaneus esse mereretur, dum suum ei lac Virgo propinaret. Frequens in ejus ore verbum: *Ave Maria, monstra te esse Matrem*, quod dum repeteret, reciprocã è Virginis icone salutationem audivit: *Salve Bernarde. In vita.* Sic potaremur, si non alia sitiremus.

S. Bernarde virginæ Confessor ora pro me Deip. ut ejus ac DEI amor in me semper augeatur, desiderarem etenim illum affectum, & calamum, & cor, quo tu hanc tuam, & Christi Matrem dilexisti, ut sic in agone meo hinc inter Matris ubera, inde inter Filii vulnera suave simul securumque solatium reperirem. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibili & actualium &c. f. 190.

Ad quod impetrandum: quotquot vicibus memoriæ occurrer, hodie cum affectibus ingeminabo: *Ave Maria, Monstra te esse Matrem.*

Ad omnem cujuscunque necessitatem aperta est nobis urbs refugii, sinus Mariæ est expansus, hoc refugium qui declinat, nil mirum, si effugere non meretur. *S. Bern. mor. 8.*

Quæstio: Cur Deipara cum Filio non statim in coelum ascenderit? *Barrad. c. 11.*